

citatore Paradoxo pugnam inchoaturus p. 90. novam quandam
 cudit Interpretis distinctionem, cujus ipsi neglectum, tanquam
 gravem culpam, exprobrat, ita scribens: Quem quærit Interpre-
 tem voluissem accuratiore paulò judicio nobis definivisset. Non
 enim est uniusmodi Scripturarum Interpres. Alius namque ha-
 bendus est, qui eas aliis interpretatur, alius qui sibi soli hanc o-
 peram præstat. Auctor utrumque conjungit, passimque nullo
 facto discrimine, & eruere sensus & indicare posse suum jactat In-
 terpretem. Quo quid possit ab accurato disputatore magis dici
 alienum? Hæc ille satis magistraliter, cum Exercitator Paradoxus,
 quantumvis delirans, Interpretis vocem melius ex usu classicorum
 Auctorum & probatorum Theologorum explicet & usurpet, quam
 ipse. Ex quo enim Lexico vel ex quibus probatis Latinæ linguæ
 Scriptoribus hausit illam primariam suam Interpretis significatio-
 nem? Juxta illam enim privatus quisque rusticus, miles, civis,
 mercator, opifex, cerdo, domi Scripturam, cum intelligentia, le-
 gens, & sibi soli hanc operam præstans, erit bonus Scripturæ In-
 terpres. Nec solum prælectores Scripturæ, etiam si nihil explica-
 tionis causa addant, sed tantum intelligenter eam prælegant, Scri-
 pturæ erunt Interpretes: sed etiam auditores, qui domi, in schola
 vel templo, alium Scripturas legentem cum intelligentia audiunt.
 Imò qui interpretes Scripturæ domi aut alibi legunt, vel vivos, & lo-
 quentes Interpretes, in schola vel templo, cum intelligentia, audiunt,
 Interpretum & Interpretationum illarum erunt Interpretes. Quod
 quis non videt à communi & probato loquendi usu abhorrere?

IV. Præterea cum Theologi nostri sollicitè distinguant Inter-
 pretem summum & subordinatos, eosque extraordinarios & infal-
 libiles, vel ordinarios & fallibiles: itemque hos veros & propriè
 dictos Interpretes, & instrumenta media adminicula & subsidia in-
 terpretandi; & ad Scripturæ ipsius potissimum in interpretando au-
 xilium & usum melius & significantius exprimendum, vocabulum
 Regulæ, quæ propriè longitudinum mensura est, ad quam lineæ du-
 cuntur & explorantur; item vocabulum Normæ, quæ propriè an-
 gulorum mensura est, juxta quam illos conficit dirigit & explorat
 Architectus, ex Architectura, mutuati sint: Exercitator Parado-